

8.28.10

*Idem AA. Rufino.*

Et qui sub imagine alterius personae, quam supposuerat, iugiter tenet, cum sibi negotium gerat, alienasse non videtur. Iure enim pignoris obligatum praedium neque si per subiectam personam creditor comparaverit neque si sibi addixerit, debitori adfert praeiudicium, sed in eadem permanet, in qua fuit ante huiusmodi collusionem.

1 ¶ Sane si debitore distrahente, comparaverit, consensu emptionem perfectam, si neque dolus adversarii, neque metus causa gesta arguentur, revocari exemplo gravi est.

2 ¶ Si igitur poteris evidentibus probationibus monstrare, creditorem per suppositam imaginarii emptoris personant semper possessionem tenuisse nec vendita bona fide praedia postea sinceriter comparasse, potes oblati pecunia cum usuris ad restitutionem creditorem compellere.

*PP. III non. Oct. ipsis IIII et III AA. consss.*

[a. 290]

8.28.11

*Idem AA. et CC. Rufinae.*

Mulier licet res specialiter pignori dederit pro alio, creditor eas distrahendi non habet facultatem, nisi dissimulatione, marito obligante velut proprias, creditoris ignorantiam circumscripterit.

*PP. V k. Mai. Heraclide AA. consss.*

[a. 293]

8.28.12

*Idem AA. et CC. Zotico.*

Si debtor rem tibi iure pignoris obligatam te non consentiente distraxit, dominium cum sua causa transtulit ad emptorem.

*S. prid. k. Mai. Heracliae AA. consss.*

[a. 293]

8.28.13

*Idem AA. et CC. Theodotae.*

Qui praedium obligatum a creditore comparavit, si in vacuam possessionem inductus non est, nullam in rem actionem habet.

[a. 293]

8.28.14

*Idem AA. et CC. Modesto.*

Si in hoc quod iure debetur tibi satisfactum non fuit, et debtoribus res obligatas tenentibus aditus praeses provinciae tibi distrahendi iubebit fieri facultatem.

*PP. XVI k. Dec. Sirmi AA. consss.*

[a. 293]